UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orationes Dvae In Sacrosancto Oecvmenico Concilio Tridentino Habitae

Dudith, András

Venetiis, 1562

Responsvm Sacri Concilii Tridentini, Ab Ipsivs Concilii Secretario Pronvnciatvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68800

Visual Library

RESPONSVM
SACRI CONCILII TRIDENTINI,
AB IPSIVS CONCILII SECRETARIO PRONVNÇIATVM.

REVERENDI Patres, Perſuaſum eſt ſanctæ Synodo, eam lætitiam, quæ communis fuit cum omnibus Chriſtiani populi nationibus, pro generalis huius ſacroſancti Concilii celebratione, ad prælatos quosque Eccleſiæ veſtræ Hungaricæ perueniſſe; cuius ſingulare ſemper extitit ſtudium, in tuenda, & conſeruanda uera Chriſti religione. Nunc rogandus eſt Deus immortalis, ut quæ tanto bonorum omnium conſenſu inchoata ſunt, ad optatos etiam exitus, pro ſua benignitate, perducat. Optabilius quidem ſanctæ Synodo fuiſſet, ut regni Hungarici Prælati ad hoc ſacrum Concilium perſonaliter acceſſiſſent, ſed quando Iuſtis & legitimis de cauſis, cum grauiſſimo teſtimonio Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi, D. Hoſii Cardinalis Varmienſis coniuncto coguntur abeſſe, libenter illorum excuſationem ſancta Synodus accipit, cum præſertim confidat fore, ut non multò minorem utilitatem Chriſtiana religio perceptura ſit ex opera, quam ipſi ſuis Eccleſiis his turbulentis temporibus, piè, & diligenter præſtare poterunt; atque eò magis, quòd res & negocia ſua nobis optimis & religioſiſſimis Patribus committenda exiſtimarunt. Quod reliquum eſt, uos, & mandata ueſtra, prout iuris fuerit, læto animo amplectitur, atque admittit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN